

BIBBONA

Visita Roberto ADIMARI c.106 v.

PLEBES DE BIBBONA CUM ECCLESIA S.YLARIII

Die XVIII Marzii de mane 1436 supradictus dominus vicarius visitavit plebem s.Joannis de Bibbona cum ecclesia s.Ylarii de castro Bibbone cuius est plebanus dominus Michael Stefani de Tacti comitatus Senarum. Collatio et confirmatio dicte plebis spectat ad dominum episcopum sed patrones ecclesie sancti Ylarii sunt homines dicti castri, confirmatio spectat ad d.episcopum. Valores dictarum ~~modiorum~~ plebis et ecclesie sunt quolibet anno modia sex grani omnibus reductis ad granum. Fructus consistunt in grano vino et oleo. Plebes est ruinata et eius domus sed ecclesia sancti Ylarii et eius domus in hedifitiis bene se habent. Tenet sacramenta in condecienti et nitido loco, et similiter fontem baptismatis. Interrogatus de vita et honestate populi dixit quod bene se habent tam inter se quam cum ipso plebano. Confitentur omnes quolibet anno sed pauci sumunt Corpus Cristi. Non habet Operam.

Dicta die: BARTHOLUCCIUS PIERI de dicto castro testis citatus iuratus et examinatus, et primo de patronatu dictarum plebis et ecclesie dixit ut supra. Interrogatus de valore ipsarum dixit de modiis quinque. Interrogatus de vita moribus et honestate dicti plebani dixit quod bene se gerit et quod est sollicitus in accrescendo fructus ecclesie et quod de ipso populus multum se contentatur et quod circa sacramenta conferenda bene se habet. SANTES DOMINICI de dicto castro testis ut supra interrogatus de patronatu dixit ut supra. Item de valore dixit de modiis quinque vel circa. Item de vita moribus et honestate dicti plebani dixit ut supra alius testis.

ECCLESIA SANCTI ANDREE DE BIBBONA

Dicta die supradictus dominus vicarius visitavit ecclesiam sancti Andree de castro Bibbone plebatus Bibbone, que vacat rectore. Cuius collatio et confirmatio spectat ad dominum episcopum. Ecclesia et eius domus sunt fere ruinate.

